



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Chronologia Monasteriorum Germaniæ Præcipuorum Ac Maxime Illustrium

Brusch, Kaspar

Nürnberg, 1682

Dominarum Aurachium, vulgo Frauen-Aurach/ ...

urn:nbn:de:hbz:466:1-38166

stino antithesibus, eleganter totum Christum humano generi depingentibus, quibus tu quoque, pie lector, unà nobiscum fruere.

*Huc, mortalis homo, tua corda & lumina stecte
 Ac animo comprende tuo, quo Christus amore
 Te sit complexus, Patris ingens filius ille,
 Cujus recta sequi merito vestigia debes.
 Pauper is est factus, quo te ditaret abunde.
 Contemptus mundo, quo tu cœlestis in arce
 Urbis honore novo ornareris perpetuoq.
 Captus, ut ex omni te carcere liberum ubiq.
 Redderet. At duris vinculis ferrog, ligatus,
 Ut peccatorum è nodis te solveret, atq,
 Imminem faceret Solymarum ad mœnia ci vem.
 Horrentem pro te de spinis ipse coronam
 Gessit, ut æterno in cœlis diademate frontem
 Ornaret saceretq, tuam super omnia pulchram.
 Vulnera quinetiam pro te quam plurima passus,
 Ut tua sanaret medicamine vulnera tali.
 Pro te mortuus, ut te ad vitam suscitaret illam,
 Quæ sanctis ante hæc est secula cuncta parata,
 A morte æterna, à Phlegethontis libera flammis.
 Et tumulo æthereas victor surrexit in auras,
 Ut te à peccatis faceret quoq, surgere, ab omni
 Labe injustitiæ, candorem mentis ad illum,
 Qualem sacra à te Domini Scriptura requirit.
 Ascendit cœlos, ut & ipse sequaris, & illic
 Indivulsus ei seclis comes omnibus adsis.*

DOMINARUM AURACHIUM, vulgo Frauens
 Aurach/ monialium nobili genere natarum, ordinis
 S. Dominici, Diœceseos vero Herbipolensis cœno-
 bium amplum & præclarum, non procul à Pegnesi &
 Aurachii fluviorum confluentia, supra Erlangum, Brandenbur-
 genfium

*Chronologia
 Monasterio
 S. M*

*Barones
de Grund-
lach.*

gensium Marchionum oppidum, duobus lapidibus à Noriber-
ga situm, fundatum legitur annum Christi circiter 1275. ab illu-
stri Barone, Heerdego de Grundlach ejusq; uxore Elisabeta,
Meronia Ducissa, vera fundatrice, illic sepulta unà cum filiis,
Heerdego ac Leopoldo, Baronibus de Grundlach, Leopoldi-
que uxore Domina Sophia, quæ in eodem coenobio cubat.
Fundator Heerdegnus dedit aream cum arvis, silvis & decimis,
item pagum Hitendorsensem. Is in Fontium Salutarium coe-
nobio sepultus est. Domina fundatrix Elisabeta dedit prædi-
um in Merndorff. Erat congregatio hæc monialium initio No-
ribergæ nata ad S. Crucem. Huic anno Domini 1269. in die
Mariæ Magdalene datus est S. Dominici ordo ab Innocentio V.
Pont. Max. quem attulit è Roma secum Dominus Henricus de
Heidelberg, qui dedit dono congregationi trecentas obulorum
libras. Migrarunt vero moniales ex urbe in Aurachium, con-
structum ipso die Dominici anno 1276. Postea anno Domini
1295. circa festum Pentecostes missæ sunt ex Dominarum Aua-
chio Noribergam ad recens inchoatum ibi S. Catharinæ coeno-
bium sorores sedecim. Ectandem anno 1255. Bambergam sex
Dominæ ablegatæ sunt ad inchoandum ibi monasterium S. Sep-
pulchri prope Deurstadium, pagum Bambergensi urbi vicinum.
Id factum legitur ipsa die S. Walpurgis. Benefactores Domi-
narum Aurachianæ societatis leguntur fuisse D. Godefridus à
Brauneck & ejus conjunx Adelhaidis à Schwartzenberg: hujusq;
filius, Godefridus II. cum conjuge Domina Margareta, Baroniſſa
Grundlacensi, duabusq; filiabus, Margareta & Anna, Dominabus
de Brauneck, it. Conradus Brauneck, Christina & Machoreta de
Hohenberg, Beatrix & Margareta à Schluffelbergk, Henricus ab
Hohenberg, Canonicus Bambergensis, & Wiprechtus à Treutt-
lingen, Ulricus de Aurach cum Agnete uxore, ejusq; filius Rein-
holdus cum Gertrude conjuge. Nobiles viri de Meiental, de
Wiltperg & Egloffstein, quorum omnium sunt ibi honorifica
Mausolæa & reconditoria. Henricus item Auceps, non vero
is, qui ante Othones Imperator fuit, sed nobilis quidam regu-
lus, qui consensu Hedowigis conjugis suæ dormitorium, & ma-
gnif-

*S. Catha-
rinæ coe-
nobium
Noriber-
gense.
S. Sepul-
chri Cœ-
nobium
Bamber-
gense.*

gnificum ejus loci templum suis sumtibus construxit, emitq; cœnobio pagos Regelsbacensem & Justisfeldensem, circa Schwabachianum oppidum sitos, secundus hujus loci fundator merito appellandus. Priorissæ, quæ huic cœnobio præfuerunt adhæc usque tempora, hæc inveniuntur.

Priorissarum series.

1. *D. Anna Dieterichina*, pastoris cujusdam filia, non quidem genere nobilis, sed virtute nobilissima, quam electam Seckendorffinæ sex nobiles removeri volebant, sed Burggravii Noribergensis assensu approbata, defensa & confirmata, pie præfuit cœnobio multis annis.

2. *D. Margareta* à Brauneck, Godefridi benefactoris filia.

3. *D. Adelhaidis* ab Hohenberg.

4. *D. Elisabetha* Auherin eligitur anno 1436. egregia ædificatrix & illustratrix sui cœnobii, & quæ anno 1439. construxit ædes Noribergenses, ad vexillarem montem, vulgo Panerberg fitas. Præfuit adhuc anno Domini 1440.

Panerberg, mons Norib.

5. *D. Gertrudis* à Wilmersdorff.

6. *D. Hofanna Hoffmannin*.

7. *D. Catharina Hoffmannin*, soror germana Hofannæ.

8. *D. Barbara* à Bibrach præfuit anno 1480. Obiit anno Christi 1504.

9. *D. Christina* à Druppach, Georgii strenui herois filia, præfuit annis sedecim. Valedixit huic mortali vitæ anno Salutis 1520.

10. *D. Margareta* à Trauttenberg præfuit tribus annis. Obiit anno Domini 1523.

11. *D. Chunigundis* à Wallenrod, Georgii à Wallenrod & Veronicæ à Gutenberg filia, placida, mitis ac prudentissima fœmina, heroica statura prædita, ingressa est monasterium anno Domini 1494. ætatis suæ decimo quarto. Eligitur in gubernatricem anno 1523. Præfuit 25. annis. Obiit anno Domini 1549. septuagenaria penè.

Avus ejus nobilis ac strenuus vir, Joannes à Wallenrod, puer in Borussia à summo Teutonicorum Ordinis magistro, Conrado à Wallenrod, alitus, magnus postea fuit per omnia totius Europæ regna peregrinator, qui

Joannes à Wallenrod.

Chronologia
Monasterio
in Germania
S. III



Multorum mores, multorum vidit & urbes.

Post Hierosolymitanam peregrinationem Eques auratus factus est. Interfuit Concilio Constantiensi, cujus historiam exacte ipse descripsit: scripsit item peregrinationum suarum Hodeporicon. Is cum conjugē suā, Domina Sibylla à Lentersheim, in templo Schvvabachiano, ante aram S. Catharinæ, à se fundatam, terræ omnium parenti redditus est.

12. *D. Martha à Druppach*, Dominae Christinae supradictæ ex fratre Nicolao neptis, præficitur à Brandenburgensi Marchione Alberto & nobilitate Francica, anno 1549. cum paulo ante sororem Walburgin illic insignem monialem, medendi etiam facultate & arte percelebrem, morte sublatam humasset, quam tali ego epitaphio posteritati notam reddere volui.

Huc sua Walburgis posuit demortua membra,

Quæ de stirpe sua Druppachiana fuit.

Nobilis à patris natalibus: at pietate

Nobilior, facie nobilis eximia.

Corpus in hac surva tenerum tellure quiescit,

Spiritus in superis vivit oratq; choris.

Romanis quod erat Pæbo atq; Coronide natus,

Ædibus hoc nostris Druppachiana fuit.

Hoc statui æternum monumentum Martha sorori

Concordi imprimis unanimiq; meæ.

Quod testetur, in hac ipsam vixisse palestra:

Inscriptus cœli est spiritus ipse libris.

*Monachorum
Aurachii
Cenobium.*

Est in eo ipso tractu ad fluvium Aurachium aliud cœnobium, monachorum Aurachii appellatione notum, ordinis D. Benedicti. Id à Baronibus Auracensibus fundatum, postea vero ab Episcopis partim Bambergensibus, partim Marchionibus Brandenburgensibus liberaliter donatum esse dicitur. Id nec monachos nec Abbatem amplius habens, à Marchionibus occupatum est, & à quæstore hoc tempore providetur.

DOMINARUM Monasterium, in sinistra Limagi situm, vulgo *Seauenmünster zu Zürich* / Canonissarum ex illustribus plerum-